

*Qui tria habet ova, ille habet & duo:*

*Nos tria habemus ova:*

*E. Et duo.*

Pater dicit: *Rem prodigiosam narras, mi fili.*  
Filius porrò talem inferebat conclusio-  
nem :

*Jam quicumq; duo & tria habet, quinq;  
habet;*

*Nos duo & tria habemus ova:*

*E. Quinq; habemus.*

Subrisit Pater, & vanam artem, vanâ mer-  
cede dignam judicans, ac pilam quasi sci-  
tissimè retorquens *Tu, inquit, fili duobus  
ovis, quæ ars tibi peperit, vescere. Ego hi-  
sce tribus famem solabor.*

*5. Duo & tria sunt paria & imparia:*

*Quinq; sunt duo & tria:*

*E. Quinq; sunt paria & imparia.*

Resp. negatur consequentia propter *Elen-  
chum Compositionis.* Quæ enim major ac-  
cipit divisim, illa minor vitiosè conjun-  
ctim, & similiter infert conclusionem.  
*Medius enim terminus, duo & tria, est am-  
biguus. In majore sumitur in sensu divi-  
so,*